

am verò legitimam esse, probo ex eo: Quia finitum esse quoad  
essentiam magna est imperfectio, Essentiæ verò suæ & perfectio-  
nis nullos agnoscere fines, quibus ens aliquod limitari possit ma-  
xima est perfectio. Quod primo statim intuitu clarum esse vide-  
tur. Si E. à Deo tanquam Ente perfectissimo & simplicissimo re-  
movenda est omnis imperfectio, erit & hæc ab ipso rejicienda,  
finitam scil. habere essentiam finitamque perfectionem, & è con-  
trario ejus opposita perfectio potius Deo tribuenda erit: Quæ est  
infinitas quoad essentiam & perfectionem. Deduci igitur & de-  
monstrari ex lumine rationis potest Dei infinitas quoad essenti-  
am & virtutem.

Th. VI. Deinde absq; verbi divini revelatione manifestum  
nobis esse potest, Ens illud perfectissimum & primum habere  
quoque potentiam perfectissimam & à nullo limitatam aut limi-  
tabilem. Hoc enim Philosophi accuratiores ferè omnes ex prin-  
cipiis naturalibus passim declarârunt & probârunt, paucis (inter  
quos sunt Plinius & Plutarchus, qui multa recensent, quæ Deus  
non possit, vel quia non rectè usi sunt ratione, vel quia præcon-  
ceptas falsas foverunt opiniones) dissentientibus. Quæ autem  
potentia est perfectissima nullisque limitibus circumscribi pot-  
est, illa est infinita. Sed Dei potentia est hoc modo comparata. E-  
scimus etiam ex naturæ principiis, Dei potentiam esse simplici-  
ter infinitam. Ratio est, quia potentia hujus entis sive Dei quo-  
ad rem simplicissimè unum est cum ejus essentiâ, ut ita cum po-  
tentia Dei est infinita, non possit non infinita esse ejus essentia.  
Eâdem argumentandi ratione etiam ex omniscientia & reliquis  
attributis divinis positivis, quæ rationis lumine nobis innotes-  
cunt, Deum essentialiter infinitum esse probare licet. Attributa  
enim illa omnia infiniti scil. generaliter & vi vocis spectati ra-  
tionem habent. Quæ prolixius deducendi nobis proposita brevi-  
tas vetat.

Th. VII. Jam verò paucis dispiciendum erit, quomodo Ari-  
stotelem ab hac suspitione liberandum esse Peripatetici censeant.  
Et quidem, quod primum attinet, *qu. 6. 8. phys.* docet, in magni-  
tudine non posse dari infinitum, id frustra affertur pro accusando  
Aristotele. Aristoteles enim, ut plurimi eum excusant, ibi non lo-